




# De peste quaestiones duae explicatae, : una, sitne contagiosa, altera, an & quatenus sit Christianis per secessionem vitanda.

<https://hdl.handle.net/1874/424834>

DE PESTE  
QVÆSTIO-  
NES DVÆ EXPLI-  
CATÆ: VNA, SITNE  
CONTAGIOSA: ALTE-  
ra, an & quatenus sit Christianis per  
secessionem vitanda.

Theodoro Beza Uezelio  
auctore.



GENEVÆ,  
Apud Eustathium Vignon.

clb Is Lxxix.

QUESTIO

NEEDMAEREPIL

DE

STADT

DE

DE

DE



DE

DE



DE PESTE

QVÆSTIONES DVÆ  
EXPLICATAE: VNA,  
SITNE CONTAGIOSA: ALTERA,  
an & quatenus sit Christianis per  
secessionem vitanda.

**Q**VÆSTIONEM sitne pestis  
inter contagiosos morbos cen-  
senda, fateor mihi tam inusita-  
tam videri vt ante pauca hæc  
tempora nunquam dubitatum  
fuisse credam, quin ea sit vna ex omnibus ma-  
ximè contagiosa iudicanda, cuius rei testes o-  
mnes omnium gentium de istiusmodi rebus  
scriptores, cuius non contentioso, iudices fe-  
ro. At nostra demum ætate quæri hac de re  
cœpit, ea occasione quòd multi vsque ad eò  
metuere hunc morbum, & mortem inde ple-  
runque consequentem cœperunt, vt omnibus  
non modò Christianorum, sed etiam huma-  
nitatis officiis neglectis, irâ ipsam Dei, præ-  
cipuam huius morbi causam, vehementer au-  
xerint, & per eos penè non stet quominus v-  
bi hæc calamitas incidit, ruptis semel huma-  
næ societatis vinculis, humanum omne genus  
dissolueretur. Hi verò rogati ecquid tandem

Possint isti tã indigno facto prætexere, quòd nihil ferè soleant aliud quàm cõtationis metu sese excusare, inde factum vt existiment quibus maior inest constantia, mederi sese huic malo certius nò posse quàm si contagiosum hunc morbum falsò credi docuerint. At ego quoniam hoc *παράδοξον* non magis probari posse idoneis rationibus arbitror quàm si quis cum Anaxagora niuem atram esse, aut ex Copernici hypothesis terram reipsa moueri & Solem centrum esse mundi contenderet, aliter hunc nimium pauorem, qui omnis officii obliuionem inducit, aboleri posse ac etiam debere existimo: neque hunc morbum non esse contagiosum credam donec me quispiam vel ex Dei verbo vel aliunde petitis rationibus ( sunt enim certæ in ordine quoq. naturæ *ἀναδέχεται* firmissimæ, quãdiu necessariorum causarum ordo sibi constat ) certiora docuerit. Nego enim etiã si maxime omnium contagiosa pestis esse statuatur, immò vt ineuitabilis etiam mors inde imminet, propterea deserendam esse stationem in qua Deus vnumquẽque collocauit. Nego, inquam, propterea non esse ipsi vitæ anteponendum quod Deo, quod patriæ, quod homines hominibus vicissim aut communi aut priuata aliqua ratione debemus. Et hac in re persuadenda multò sanè malle operam ab iis poni qui de cõpescenda fuga disputant, quàm de illo probando paradoxo laborari. Mallem denique, sicut in scholis loquuntur, in illo

enthy-



enthymemate consequentione potius quam antecedens negari. Sic enim non tantum probabilibus sed etiam necessariis rationibus id ipsum efficerent illi quod volunt, maxime nimirum ab iis peccari qui vilius periculi metu in Deum vel in proximum peccent. Quis enim Christianus hæc ausit in controuersiam vocare, vel si id audeat non ipsius etiam conscientie testimonio, tacentibus quoque omnibus, redarguatur? Esse enim aliquos non arbitror qui pestem omnibus modis, id est, sine exceptione, bona conscientia, fugiendam esse censeant; quod tamen video à nonnullis perinde oppugnari, ac si à nonnullis defenderetur. Quod si qui tamen ita sentiunt, illorum sane errori non magis atrocitatem quam iis qui contrario prorsus dogmate nunquam fugiendam esse pestem opinantur. Sed hominis est certe sapientis auream sequi mediocritatem, ut neque quum manendum est fugias, neque quum secedendum (nam fugæ vocabulum mihi quidem in hoc argumento *auo* <sup>pro</sup> videtur) temere consistendo, in eam ipsam charitatem pecces quæ te ad permanendum hortari videbatur. Hæc autem præfari idcirco libuit antequam ad rem ipsam accedam, ut quid defendendum, quid refellendum susceperim, omnes ab ipso statim initio præsumant. Age verò quando quidem non desunt qui ab istius quæstionis explicatione sitne pestis contagiosa, totam hæc de peste fugiendam vel non fugiendam tractationem pendere censent, videamus quibus rationibus & argumentis tam confidenter

contagiosam esse, id est, quod sine controuersia ab omnibus adhuc creditum est, insufficientur.

Volunt ut hæc quæstio diiudicetur considerari quid sit pestis, unde sit, quæ ipsius causa, per quæ media nobis immittatur, quæ eius natura, & quis finis. Accipio conditionem. Est enim iustissima & æquissima. Sed ista unde tandem cognoscemus? *Non*, inquit, *physicis rationibus sed ex vno Dei verbo.* Deleatur ergo quæcunque à physicis disputantur: & pro Hippocratis & Galeni ac cæterorum medicorum libris vna Biblia versent medici, nec sit inter eos & Theologos, id est, inter corporis & animi medicinam discrimen. Absit verò istud, inquit. *Nec enim physicas alias rationes damnamus quàm quæ Dei verbo repugnant.* Rectè. Videamus ergo quum contagio ex physicis causis oriatur, ac proinde ex illis prodeat, an de pestis causis physicis repugnans aliquid verbo Domini medicorum placitis tradatur. *Aiunt pestem ab Hebræis vocari DEVER à DAVAR, quod etiam significat lata à Deo sententia perdere. Græcos vertere Δάβαλον, id est, Mortem. Esto. Quid hoc ad rē? Neque enim ex eo sequitur à naturalibus interuenientibus causis pestem non proficisci quoniam à Deo immittatur, nisi naturales omnes causas morborū sublataş idcirco volumus, quòd nemo nisi Deo sic decernente moriatur, quocumque tandem mortis genere intereat. Imò, inquit, sententiam Dei qua nō tantum ipsam*

*Primum  
argumen-  
tum eorū  
qui pestem  
aiunt non  
esse conta-  
giosam.  
Responso.*

*2. Arg.*

*mo-*

mortem, sed & genus mortis & causas secundas  
 unicuique constituit, stultum est contagiosam vo- *Resp.*  
 care. Et quis, obsecro, tam vnquam ineptiuit  
 vt sententiam ipsam Dei contagiosam dice-  
 ret? Sed aliud est longè id quod dicimus, nem-  
 pe inter causas secundas etiam contagionem  
 numerandam, siquidem contactu & attritu  
 multos morbos, alios quidem lethales, alios  
 verò leuiore contrahi, quis ausit inficiari, ni-  
 si etiam solem meridie non lucere contēdat?  
 peccatum certè quo infecti omnes nascimur,  
 & à quo mortalitas hæc omnis orta est ex spi-  
 rituali quadam contagione non absque Dei  
 decreto deriuatum est, ac propagatum in om-  
 nes Adami posteros. Itaque nulla prorsus il-  
 lius argumenti vis est. *Sed querunt postea si 3. Arg.*  
*contagium inter causas secundas à Deo constituta*  
*tas referatur, quomodo quod à Deo constitutum*  
*est effugere possimus: nempe vt ex eo colligant,*  
*frustra fuga remedium aduersus pestem queri, et*  
*tiam si contagiosa esse statuatur. Atqui plum-* *Resp.*  
 beum quoque prorsus est istud argumētum.  
 Quidni enim, si consequutio illa vera est idē  
 de secundis omnibus mortis causis affirmare  
 nō licebit? Agè igitur neque comedamus nec  
 bibamus, neq. remedia aduersum vllos mor-  
 bos quæramus, inermes etiam milites in aciē  
 prodeant, quoniam vitari mors à Deo consti-  
 tuta nō potest. Sed res ita se habet. Vitari cer-  
 tē neque mors neque mortis tempus aut ge-  
 nus à Deo constitutum potest: neque idcirco  
 comedimus, aut remediis aduersum morbos



vtimur aut aduersum hostes armamur, quasi  
 obsistere Deo cogitemus: sed quoniam iis pe-  
 nes Deum relictis quæ nos cælatos voluit, iis  
 vtendum nobis est quæ Deo ipso præeunte  
 nobis dicat natura esse ab ipso constituta, vt  
 vitam quoad ipsi libuerit producamus: quod  
 nisi faciamus, Deum tentare & grauissimè of-  
 fendere meritò existimabimur, tantum abest  
 vt rationes vitandæ mortis ab ipso præscri-  
 ptas vsurpantes in ipsum peccemus, etiã si fru-  
 stra illis interdum vtamur: quando videlicet  
 exitus patefacit tum nobis moriendum quã  
 nobis adhuc prorogãdã vitã opinaremur. Sic  
 reprehenditur Afa, non quòd medicos accer-  
 suerit, sed quòd in medicis spẽ vitæ posuerit.  
 Sic postquã docuit experientia contagionẽ in  
 res vicinas potius quã remotas serpere, accu-  
 sandus nõ erit qui nulla officii Christiani par-  
 te neglecta, sese familiãmq. suã subduxerit, i-  
 mò verò maximè reprehẽdendus erit qui te-  
 mere sese & suos in contagionis periculũ con-  
 iecerit, quum teste Apostolo sit infideli dete-  
 rior qui suorũ curam tantã non gerit, quantã  
 salua pietate ac charitate, habere debet.

4. Arg.

Audiamus verò an firmitus istud sit quod  
 subiicitur. Ex *ijs*, inquit, nominibus quæ pestis  
 in sacris literis attribuuntur, quæ sit illius ratio  
 satis superque exprimitur. Vocatur autem pestis  
 Dei manus 2. Sa. 24. Dei gladius. 1. Paralip. 21.  
 & sagittarum quoque appellatio significatur  
 Ps. 31. & 90. Ergo non ex contagio proficiscitur,  
 quum neque manus, neque gladius, neque sagitta  
 com

*contagione vulneret.* At ego, præterquã quòd *Resp. 1.*  
 fortassis non immeritò possim in dubium vo-  
 care an satis appositè hæc singula testimonia  
 proferantur, hanc quoque consecutionem ne-  
 go. Nam alibi quoque, vt Psalm. 17, David  
 Dei manum vocat hostes suos, qui tamen na-  
 turali ratione ipsum impetebant. Et quum di-  
 citur Dei manus nos fecisse, physica genera-  
 tio non excluditur: & sagittas in scripturis cõ-  
 stat vocari quæcunque mala Dominus ho-  
 minibus siue ordinariis duntaxat naturæ le-  
 gibus vtens, siue angelorum ministerio adhi-  
 bito, immittit. Quæro præterea quidnam ra- *Resp. 2.*  
 tionem morbi vocet. Naturam ipsam illius  
 inquit. At ego metaphoricis illis manus, gla-  
 dii, sagittæ locutionibus, non magis qualis sit  
 in se ipse morbus significari dico, quàm quid  
 sit grãdo, vel scabies, quum dicitur Dominus  
 Aegyptum exerta manu percussisse: aut deni-  
 que qualis sit singulorum morborum vis &  
 natura, quum inter maledictiones à Deo im-  
 mittendas in legis appendicibus recitantur.  
 Quid igitur? nempe naturam ipsam morbo-  
 rum quatenus à naturæ legibus pendent  
 physicorum est ac medicorum scrutari, quod  
 vsque adeò feliciter ac certò ab illis fieri vi-  
 demus, vt etiam illos & eorum exitus præ-  
 sagire possint. Causas autem morborum &  
 cæterarum calamitatum supernaturales &  
 diuinas explicat Theologus, docens oportere  
 nos supra naturam & omnia physica lon-  
 gè assurgere, quum de illis vitandis aut

depellendis agitur. Veram enim ac primariã  
 illorũ causam esse peccata nostra, quibus pro-  
 uocatus Deus, omnes illas inferiores causas  
 aduersum nos cieat & excitet, vt mortales iu-  
 stis pœnis vlciscatur. Absurdum igitur esse di-  
 co ista confundere tam procul discreta suisq;  
 diuersissimis finibus, nec tamen repugnantibus,  
 sed duntaxat ὑπαλλήλοις siue subordinatis,  
 distincta. Deinde quoniam hoc argumẽto  
 contendunt pestem idcirco cõtagiõsam non  
 esse, quoniã manus & gladius, & sagitta Do-  
 mini vocitatur, quæro ego, an lepra non fue-  
 rit Domini manus, & an propterea non con-  
 tagiosa, ac potius annon quia contagiosa, id-  
 circo secedere iussi sint leprosi? Quæro & il-  
 lud, Si non est malum in ciuitate quod non fa-  
 ciat Dominus, an non hodie elephãtiãsis cen-  
 seatur tamen contagiosa: & libeter ex his qui  
 secessum omnẽ in peste culpant, quæsierim  
 an censeant ipsi elephãtiãcos in communi  
 hominum societate tolerandos: & si toleran-  
 dos arbitrantur, cur non etiam in eos decla-  
 mitant à quibus excluduntur: si minùs,  
 si propter contagium illos vitandos censent,  
 cur pestis contagium vitantes, sine exceptio-  
 ne tanquam omnium hominum nocentissi-  
 mos reprehendant. Sed negabunt fortassis e-  
 lephãtiãsin esse Dei manum. Agamus ergo  
 de scabie siue Gallica, siue Hispanica, vtinam  
 non etiam Germanica. Illam esse pœnam di-  
 uinũs inflictam scortationi, quæ hoc secu-  
 lo pro ludo habetur, non puto quenquam  
 negare

negare audere, ac verè esse Dei manum, gladium & sagittam scortatores ferientem. An verò propterea contagiosa non est, ac non potius vel vnicum scortum plurimos hac lue inficit, qui rursim mutuò sese conspurcant, adeò vt non tatum ex cõcubitu, sed etiã hali- tu & cõtrectatione turpissimus iste morbus contrahatur, adeoque & ex nutricum vberibus ab infantibus exugatur, & vicissim nutrices vel ex impuro patre conceptum, vel ex impura matre natum infantem lactantes hunc ipsum turpissimum morbum hauriant? Sunt igitur illa quoque argumenta eiusmodi, vt ne refutatione quidem indigeant. Certè illud absurdum est, existimare singulis potius hominibus totidem pestes immediatè (vt loquuntur) immitti, quàm ipsum morbi genus, quo alii alios contagione inficiant. Etenim siue omnes vno vulnere interficiat Dominus, siue vt Midianitis accidit, mutuis illatis vulneribus prosterneat quoscunque morti destinavit, quid interest? neque rursim discrimen est aliquod in ea quidem re de qua agimus, telo ipsius Dei an contagione alterius aliquis sternatur.

*Accedamus nunc ad id quod de secundis* s. Argumentum.  
*ipsis causis commemorant, quas esse negant, vel*  
*certum aliquem astrorum positum, vel aëris*  
*corruptionem.* Respon. I.  
 Neque verò physici, quantum intelligo, omnem pestem aut contagionem volunt ab illis causis oriri. Sed hoc con- Respon. 2.  
 donemus, & omnes naturales causas pestis



ab ipsis commemoratas fingamus. Cedò cur istas semel omnes excludunt, adeò quidem vt eos Sacrarum literarum parum peritos esse velint, qui pestem illis secundum Deum acceptam ferant? *Quoniam*, aiunt, *restatur Sacra litera pestè per Angelos immitti, vt* Psalm. 88. 1. Paralip. 21. Ezech. 9. item in historia Sennacheribi, & in Apocalypsi, vbi mentio fit vlceris pessimi. *Nam*, inquit, *quod Deus per Angelos immittit, ex causis naturalibus non est.* Fateor id quod ad angelos ipsos attinet, quos inter naturalia instrumenta concedo non recenseri. Sed quid prohibet, Deo sic iubente, naturales causas ab ipsis Angelis cieri? Nam illos certè tum bonos tum malos voluntatem hominis aliquo modo ciere, quicumque tandem ille sit motus, ambigi non potest, quò Satanus in cor Iudæ ingressus dicatur, (nisi fortè bonis minus quippiam quàm malis angelis licere dixerimus) idque etiam ex Achabi historia liqueat, & ex spirituum erroris efficacitate. Voluntatem autem inter humanarum actionum principia vel præcipua numerandam, quis inficiari audebit? Quòd si angelorum ministerio voluntas hominis non excluditur, cur alias naturales causas illo tolli necessariò existimabimus? Moses erecta virga pediculos & infinita muscarum genera excitauit, horribilem grandinem repentè elicit, vlceribus pessimis Aegyptios percussit. Et fuit certè profus extraordinariū istud Mosis non  
secus



fecus ac angelorum ministerium. Sed an pro-  
 pterea pediculi & muscæ ex putredine, gran-  
 do ex vaporibus per *ἀντιαισθησιαν* repente  
 concretis, vlcera quoq. ex humorû putredine  
 nō sunt exorta? Satan accepta à Deo cōcessio-  
 ne vento repente excitato, & igne cœlesti vi-  
 brato, æ des Iobi incensas cum ipsius liberis  
 omnibus subruit: an inde consequitur natu-  
 ralibus nullis causis interuenientibus id eue-  
 nisse, ac non potius dixerimus illos aëris prin-  
 cipes (sicut non temerè illos vocat Aposto-  
 lus) aëreas illas impressiones verè naturales,  
 momento fabricatos esse? Mittit diabolus  
 pios in carcerem, Apacalyp. 2. 10. sed per ty-  
 rannos & Ecclesiæ oppressores. In eodem  
 libro, 6. vers. 8. equus ille pallidus cui Mors  
 eques insidet, potestatem accipit interficien-  
 di gladio, fame, & peste, & ferarum im-  
 missione. Hic si equitem illum intelliga-  
 mus Angelum esse, cur non æquè dice-  
 mus illum naturalem materiam ad famem  
 & pestem ciendam æquè atque gladium, &  
 feras, quæ & ipsa naturalia sunt instrumen-  
 ta, adhibuisse? Nam postea 9. v. 1. iubentur  
 Angeli in quatuor terræ cardinibus consiste-  
 re, & ventos coercere, ne flando terræ noceāt  
 & mari: ex quo consequitur, iubēte Deo ven-  
 tos vicissim ab illis emitti, à quib. certè aëris  
 affectiones plurimas, ac in primis contagionē  
 proficisci constat. Denique naturales causæ  
 siue sensim suapte vi ipsis insita moueantur,  
 siue aliunde extra ordinem, sic iubente Deo,

Resp. 3.

ad effecta sua momento rapiantur, naturales sunt, & naturalia hæcenus illarum effecta mentione censentur, quod inficiari nemo cum ratione possit. Deinde si naturales nullæ causæ in peste interueniant, naturalibus certè remediis ne subleuari quidem nedum sanari possunt quos pestis attigit. Atqui falsissimū hoc esse experientia & sensus ipsi demonstrant.

Resp. 4.

Cæterum vnum esse me ex iis profiteor qui astrologiam *μαυτικὴν* superstitiosam & genethliacorum, & cæteras eius generis prædictiones impias vsque adeo execrer, vt etiã vetera ea de re Principum edicta renouari & feruere obseruari cupiam. Sed naturales aeris constitutiones, & quæ inde pendent in nostris corporibus effecta, concursibus variis astrorum adimere, quasi ad solam contemplationem aut temporum distinctionem stellæ sint in orbibus suis collocatæ, nullius, opinor, iudicii sed pertinaciæ potius extremæ fuerit, quum & rustici ipsi quotidie istud cognoscant, & tēpestates id ipsum vociferantur, & temperiem ac intemperiem contagionemque adeo ipsam à peritis astrologis aliquatenus saltem prædicari posset res ipsa conuincat. Quinetiam age,

Resp. 5.

pestes illas quarum exempla ex sacris literis proferuntur ab angelis immittas, ac propterea contagione caruisse concedamus. Cur tamen minus absurdum fuerit ex eo colligere nullam pestem nisi per Angelos immitti, quam si contenderim nullam grandinē, nullum imbrē, nullum fulmen naturali ordine gigni, quoniã  
mi-

ministerio angelorum & grandinasse & vehemētissimos ventos flauisse, & horribiliter tonuisse multis scripturæ locis legimus? *Ar e. Exceptio.*  
*nam, inquit, exempla illa de peste per angelos nobis proposita sunt ad exemplum, vt inde discamus recte iudicare de causis medicis, & origine pestis.*

Enimuerò quis neget quæcunque scripta *Respōsio.*  
sunt idcirco scripta vt iis erudiamur, & omnia quæ de ministerio angelorum non tantum in peste sed etiam in fame & aliis calamitatibus, tum ad perdendos malos tum ad castigandos aut exercendos bonos in sanctis scriptis referuntur, maximam nobis adferre utilitatem, vt Deum timere ac etiam diligere discamus, qui non sit ipsius naturæ legibus, vt Stoici putarunt, alligatus, & quædam habeat iudiciorum suorum instrumenta, iis etiam formidabiliora quæ sub sensum nostrum cadant? Sed quod tu vis minimè hinc efficitur, nempe sic nos doceri nullas causas naturales ab ipsis angelis ad exequenda Dei mandata adhiberi. *Resp. 6.* Quid quòd scriptura etiam nobis suppeditat pestis immixtæ exempla, nulla facta angelorum mentione? Concedunt enim ii aduersus quos disputo, pestem fuisse qua laborauit Ezechias: atqui per angelos percussus fuisse non dicitur. Minatur pestem sæpe Dominus peccatoribus per Moſen & alios Prophetas, neque dubium est quin istæ comminationes minimè inanes fuerint: per angelos tamen sese illas semper missurum nolumus quam commemorat. Psaltes videtur aliquot

Psalms omnino innuere se fuisse peste correptum, quem tamen nūquam legimus inflicto ab ipsis angelis vulnere percussum. Omnia igitur ista, nisi penitus fallor, nihil prorsus ad tollendum contagiosum halitum, huius morbi secundam causam, faciunt.

*Arg. 6.* Sed & illud quod subiiciunt cuiusmodi tandem ratione nititur? *Aiunt pestem providentia Dei singulari hominibus immiti.* Et quid hinc dicunt quod non de quibusvis quæ in mundo

*Resp.* eueniant statuendum sit? Nam, ut inquit ille, ne vnus quidem passerulus sine Dei providentia in terram cadit, & pili nostri capitis omnes numerati sūt, quæ providentia si ad singularia extenditur, certè sic est in ipso genere vniuersalis, vt in singularibus quoque sit

*Arg. 7.* singularis. *Aiunt postea, quotiescunque pestis in mundo grassatur, ab hac contagione excipi eos omnes quos in vita conseruare Deus statuit, reliquis omnia loca esse contagiosa, et si longissime absint ab iis qui peste laborant.* Et addit postea, *Ad quid igitur contagium metuumus? an non stultum est metuere quod non est?* Ego verò non vido quomodo non sint ista prorsus *absoluta.*

*Resp. 1.* Quinam enim omnia loca fuerint cuiusmodi contagiosa, si contagium nullum est? nisi fortassis illud per concessionem dicunt. Sed ex providentiæ firmitate colligi certè nullo modo potest contagiosam pestem non esse. Itaque extra propositam quæstionem hoc argumentum excurrit.

*Resp. 3.* Deinde an putabimus certiore esse numerum



merum moriturorum quoties pestem im-  
mittit Deus, quàm quum alia tela iaculatur?  
quòd si in providentiam Dei non peccât qui  
quæ nobis incomperta sunt Dei, sicuti par  
est, arbitrio relinquentes, & *προφυλακτικοί*, &  
*θεραπευτικοί* remediis physicis utuntur, cur  
non idè quoq. peste grassante faciemus? Sicut  
igitur aliquos ex peste non morituros Deus  
cōstituit, ita etiã remedia præscripsit quibus  
quantum in se est, homines periculum pestis  
effugiant. Vna est autem eadèmq. in omni  
morborum genere providètia Dei qua quid  
futurũ sit immutabili decreto fanciuit, quan-  
tumuis inter se morborum naturæ differant.  
Inter præcautiones verò physicas præcipuas  
aduersus contagionem, secessionem tempe-  
stiuam meritò censerì, contagionis ipsa vis  
ratioq. nominis demonstrat, quamuis neque  
omnes qui fugiunt seruètur, neq. qui perman-  
nent, intereant. Decreuerat certè Dominus  
famè immittès Aegyptiis & illius oræ regio-  
nibus, quinnã essent illa penuria morituri, nec  
propterea desinit Iosephus Aegyptiis sapien-  
tissimo consilio prouidere: quod & ipsum fe-  
cerunt Ecclesiæ quum famem sub Impera-  
tore Claudio futuram ex Agabo Propheta  
intellexissent. Nouerat quoque Dominus  
quinnam in illo cruentissimo bello Assyriaco  
sub Ezechia essent interituri: & tamen sese  
Ezechias ipseque Esaias vrbs mœnibus tu-  
tatur. Quid plura? quũ certò cognouisset Pau-  
lus neque se neque quenquã ex iis qui secum



erant naufragio periturum, tamen parantibus, nautis fugam è nauis, Non potestis, inquit, salui esse nisi isti manserint. Christus quoque quauis sciret horam suam non venisse, tamè non semel sese subduxit quum ad necè quæreretur.

Arg. 3.

Illud denique quòd veluti certissimum affirmunt, *pugnare vide' icet contingentiam cum firmo & constanti Dei decreto*, etsi non magno perè ad rem pertinet, tamen è quis illis concesserit? Contingentes causas vocamus quæ in vtramuis partem suapte natura euenire possunt. Eas si quis tollat ex rerù natura, haud scio an vllum habiturus sit satis recti iudicii hominem ipsi assentientem. Dei voluntas, inquit ex Augustino, est rerum necessitas. Concedo, quod ad exitum & effecta ipsa causarum attinet. Sed, vt rectissimè idem inquit, non consequitur vt quauis omnia quæ Deus futura decreuit, necessario futura sint, tamen ex necessariis causis eueniant, sic ut Stoici falsò concludebant, idque certis ac prorsus euentibus exemplis probari potest. Quid enim? an non Christum credimus verè quouis tempore frangi sua natura possent. At qui frangi tamen re ipsa non potuerunt, quum aliter à Deo decretum esset. Contingenter igitur, quod ad ipsam eorum naturam attinet, fracta non sunt quum fragilia tamen essent, & necessario tamen ex Dei decreto infracta permanserunt. Rursum, Christum ab ipso tempore

Responso.

pore quo carnem nostram assumpsit mortali corpore præditum fuisse omnes Christiani confitentur. Potuit igitur suapte natura ab Herode cum aliis puerulis occidi: at ex Dei decreto non potuit. Quod igitur tum occisus non est, contingenter accidit si naturam ipsius corporis spectes, quum aliter accidere potuerit: at ex Dei decreto non magis occidi potuit quàm Dei voluntas immutari. Idem quum ad crucem raperetur, ea certè varietudine fuit vt tunc illi necesse non esset mori. Contingenter igitur, si in causa mortis naturalis consistas, mortuus est, & tamen necessariò, si ad Patris ordinationem inuariabilè conscendas, quoniam venerat hora eius: & simul voluntariè, quoniam animam suã posuit pro nobis. Vsq; adeò neque contingentia neque voluntas certissimo diuino decreto repugnat.

Superest argumentum ab ipsa experientia sumptum, quod quum validissimum in speciem videatur, nullius tamen est ad tollendam contagionem momenti. Si pestis, inquit, à naturalibus causis vel ex certa quæpiam constellatione vel aëre corrupto oriatur, certè omnes illi corripentur qui sub ista constellatione essent positi, vel aërem illū haurirent, quod falsum esse deprehenditur. Atqui consequentionis istius falsitatē ratio ipsa coarguit. Quis enim est vsque adeò imperitus qui nesciat vnā eandemque causam ne

Arg. 3.

Resp.

similiter quidem nedum pariter semper agere, immò secundum obiectorum patientium varietatem effecta variari? Sol profectò lutum indurat, ceram liquefacit. Vnus & idem Boreas non pariter singulos frigoribus infestat. Nemo igitur non videt quàm infirma sit illa argumentatio. Sed demus pariter esse alicubi singulos ad excipiendum corruptum aërem per se dispositos, multa tamen possunt incidere, quamobrem idem effectū non consequatur: puta, exempli gratia, quia medicamentum *προφυλακτικόν* vnus præsum pferit, alius non item: vnus statim remedio commodo fit vsus, alius vel tardè vel nunquam. Postremò illud quoque obseruandum quod præcipuum est, Deum Opt. Max. naturales causas & earum effecta prout ipsi libet, regere ac moderari, atque hinc euenire vt contagio neque singulos attingat ipsi expositos, vt scribitur Psalmo 91.6. neque sit iis omnibus quos corripuit lethalis, vt nec epota venena, sicut scribitur Marc. 16. 18. Itaque nihilò validius est argumentum nullam esse contagionem, quoniam & ægrotis assidentes multi peste non tanguntur, & absentes contrà eo malo corripiantur. Quasi verò non sit lethale viperæ virus, quoniam ab ea morsus Paulus ne malum quidem vllum sensit, Act. 28.5. Et de contagione quidem hæctenus.

An &  
quatenus  
liceat in  
peste secedere.

Nunc de secessione nobis dicendum est. Sic enim malo quàm fugam appellare, quam vnus periculum etiam fugere cum ratione sapientis



pientis hominis esse arbitremur. Sunt igitur  
 qui secessionem pestis causa factam vsquea-  
 deo sine exceptione reprehendant, vt etiam  
 nefarium scelus esse opinentur, quanuis per-  
 manentibus temeritate non vtendū esse cen-  
 seant. Sunt contrā qui nulla, vel certē leuissi-  
 ma huius societatis & officiorum quæ Chri-  
 stiana charitas iubet habita ratione, simulatq.  
 pestis ingruit, quasi signo fugæ dato, quæque  
 sibi consulere oportere censeant. Ego cur ab  
 vtrisque ac in primis ab istis dissentiam, iu-  
 stissimas habere me causas arbitror. Sed an-  
 tequam planè dicam quid hac de re mihi vi-  
 deatur, peto vt primūm vnos aduersus alte-  
 ros audiamus disceptantes. Sic igitur illi ad-  
 uersus istos philosophicè primūm disputant.  
 Aiunt stultitiam esse mortem timere ex Pla-  
 tonis Gorgia: nec temperantem videri posse  
 qui mortem fugiat, quoniam id à nimia vitæ  
 delectatione oriatur: neque iustum, quòd qui  
 pestis tempore fuga sibi consulit, neque Deo  
 neque hominibus suum tribuat. Istis argu-  
 mentis alia subiiciunt ex Sacris literis petita:  
 quòd videlicet de prouidentia Dei non rectè  
 sentiant cuius immutabili decreto vitæ præ-  
 cipuè humanæ cursus sit definitus: quòd Deo  
 diffidant, ac præsertim huic promissioni fi-  
 dem non habeant, Ero Deus tuus & seminis  
 tui: quòd omni charitate, imò etiam σοφῶν φου-  
 σιῶν sint destituti: quòd Deum tentent Israe-  
 litarum exēplo. Exo. 17. 3. & Psal. 78. 18. præ-  
 scribentes Deo quo modo, loco, tempore &

quibus mediis ipsos seruare possit: quòd Deū  
 ex animo non diligant: quòd terrestrium bo-  
 norum amantes, cœlestia negligant: quòd  
 mortem nimium metuant: quòd Dei volun-  
 tati quæ semper bona est, sese opponant: quòd  
 existiment se Deo fortiores esse, & eius ma-  
 num posse effugere: quòd Christi & naturæ  
 legem qua iubemur aliis facere quod nobis  
 factum vellemus, apertè violent: quòd id fa-  
 ciant & doceant, quod Christianus nullus fe-  
 cit, est autem ab Ethnicis factitatum. Et hæc  
 quidem illi, quibus isti sanè nihil habent  
 quod respondeant, qui sine exceptione fu-  
 gam suadent tuendæ vitæ prætextu. Ita-  
 que si hæc aduersus eos dicantur qui pestem  
 sic fugiunt vt à pietatis & charitatis legibus  
 vel tantillum deflectant, assentior eorum ad-  
 uersariis, & nulla non reprehensione dignos  
 esse statuo qui inde fugiunt, quò potius illos  
 accurrere decebat, si vel humanitatis mi-  
 cam haberent. Sin verò aduersus eos tor-  
 queantur qui iustis causis impulsī secedūt, &  
 eum modum tenent quo neque aduersus  
 Deum neque aduersus proximum vllas offi-  
 cii sui partes omittant (quod fieri sæpissime  
 posse dicimus) argumenta hæc omnia quan-  
 tumuis in speciem grauissima, nullius tamen  
 esse momenti affirmamus, si res ipsa diligenter  
 expendatur. Etenim, vt ad primum argu-  
 mentum respondeamus, vt sit immutabile  
 Dei decretum, & æterna ipsius prouidentia  
 vitæ nostræ terminos immotos fixerit, causas  
 tamen



tamen tuendæ vitæ ordinarias & legitimas istud minimè tollit, ne si prorogadæ quidē vitæ oraculum quispiam accipiat, sicut ex mam-festo Pauli exemplo paulò antè demonstrauimus, Act. 27. 14. & 31. nedum vt illis vti non liceat, quum occultum adhuc nobis est quid de vita nostra vel producenda vel finiendâ Deus ab æterno decreuerit. Deinde cur Dei promissionibus dicatur diffidere qui vitandorum malorum rationes à Deo præscriptas ita sequitur, vt à Deo tamen totus pendeat nisi fortè quispiam hoc dogma in sacris literis disertè scriptum inuenerimus, peste grassante nemo fugito. Inter illas autem rationes *προβουλευτικὰ* quoque remediâ censerî, & inter ista quoque secessionem quoque tempestiuam esse numerandâ, vel ipsa contagionis appellatio demonstrat. Sed & illud constat, non modò in charitatem Christianam non peccare, neque Deum tentare qui pestem sic secessione deuicit, vt interea nec pietatis in Deum, nec charitatis in proximum vllum officium prætermittat, vt contra, nisi interdum id faciat meritò Deum in se prouocare, & infideli deterior censerî possit, vt qui sese temerè lethali contagioni exponens, neque sui, neque suorum rationem habuisse videatur.

Nihilo verior est quinta & sexta accusatio. Deum, inquiunt, non diligunt, & terrenis in-biantes, cœlestia negligunt. Cedò quâobré? quoniã qui Deū diligunt, nihil magis cupiunt quam

ipso esse, quod nobis per mortem contingit: contra autem nihil magis metuunt. Imò verò qui in amando hunc vnum sibi vltimum finem propositum habuerit, vt re amata quo modo, sui commodi causa, potiatur, sese potius quam amicos diligere merito creditur. Itaque idem ille qui dissolui cupit & esse cum Christo, optat etiã fratrum causa à Christo tanquam anathema separari. Act. 9. 3. nec vitam suam insidiantibus inimicis prodit, ad Cæsarem prouocans, Act. 25. 1. & de restituta sibi valetudine gratias agit 2. Cor. 1. 11. Quid quòd & Dauid non tam Saulem & Absalomem, quam mortem fugit, Dei nihilominus cultor? Quid quòd idem ille & Ezechias disertè mortem deprecantur? Itaque quisquis mortem fugit, statim existimandus non est Deum non diligere, sicut è contrario nō quisquis mortem appetit Deum diligere censendus est: sed is demum qui cum recta ratione & conscientia bona voluntati Dei obsequens ad mortem siue oppetendam siue deuotandam sese comparat. De metu mortis idè quoque statuendum est, illum videlicet si iusta ratione nitatur & sit moderatus, non modo damnandum non esse, verum etiam vt à Deo vitæ custodem insitum approbandum. Damnatur ergo is demum mali metus ex Philosophorum scriptis qui fortitudini aduersatur & ab eo quod præstare alii aliis debemus nos auocat: ex sacris autè literis ille qui fidei & charitati repugnat. Aliud enim est affectus  
natu-

naturales tollere, (quod nemo ne si velit quidem possit) quàm eos moderari: quod faciendum esse Philosophi quidem rectè docent, quomodo verò fieri possit vnicum Dei verbum per Spiritum sanctum demonstrat. Quæ verò ex Tertulliano citantur, partim extra ipsius scopum euagantur, quum is de sola persecutionis fuga differat, partim verò summo Ecclesiæ consensu inter illius nãuos recensentur, vt qui extra metã in hoc argumẽto sit abreptus. Nemo certè pius & satis intelligẽs, Iacobi secessionem, nemo Dauidẽ Saulis furorẽ, & Absalomi damnationem, nec Heliã Iezabelis rabiẽ fugã deuitantem, nemo Athanasii non vnã subductionem vnquam damnauit. Neque hĩc nobis vel ad Christi agonem refugiendum est, vel ad illud Matth. 10. 23. Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, quos locos fateor à nonnullis non satis appositè proferri. Nã quod ad Christi pauores attinet, peculiari ratione nitũtur, neque trahi in exemplum debent: quum ibi agatur de salutis nostræ mysterio, cuius partes solus obiit & obire potuit Christus, in quo videlicet iram illam Patris terribilem cernebat & re ipsa sentiebat, pœnas ferens peccatis nostris debitas. Nos autem contrã pauoribus illis non examinamur morientes, quod placatum Patrem habeamus, & vitam in ipsa morte per fidem contemplemur. Illud verò Christi dictum minimè profectò est præceptum de fuga, sed contrã monet fides pastores vt



nullis minis territi, si ex vno loco depellantur, ad alium properent, quod ab Apostolis sedulo postea factitatum fuisse legimus.

Sed audiamus aliud aliquid fortasse grauius. Nihil non bonum immitti potest à Deo (inquiunt) imò nihil bonum nisi quod à Deo immittitur autem pestis à Deo: ergo bona est, si non suapte natura, at certè optimo fine, nempe ut peccata nostra puniantur, ut fides nostra probetur, ut pœnitentiam agamus, ut hypocrisis in lucem protrahantur. Quis igitur negare potest (aiunt) quin bonum fugiant qui pestem per quam Deus hæc omnia efficit, fugiunt? Item, Quod Deus omnibus, id est, alicui Ecclesiæ aut Reipublice immittit, veluti, verbis gratias pestem, vult ab omnibus ferri. Quod si ferenda tati sese opponunt qui pestem fugiunt: imò etiam frustra fugiunt, quoniam voluntati Dei frustra resistitur. Verum quid istis potuit dici absurdius? Nam, ut paralogismū in voce Boni & Mali prætermittam, quorsum, quæso, in hanc disputationem de natura rerum ingredi oportuit? Non est malum (id est, calamitas vlla) in ciuitate quod Deus non fecerit, inquit propheta. Curnam igitur famem, pestem, bellum & cætera eiusmodi bona appellabimus? At enim (inquiunt) cedunt piorum bono. Cōcedo, quoniam lucem Dominus eruit ex tenebris. Sed & peccatis ipsis erudiuntur pii. Num igitur peccata quoque bona sunt, & qui his resistit,

sistit, Deo resistit? Denique quis non videt, res  
 nobis suapte natura noxias à Deo deprecari,  
 simulque iustis & legitimis ad illas, si fieri pos-  
 sit, deuitâdas remediis sic vti vt exitû Deo cõ-  
 mendes, longè aliud esse, quàm sit insanire vt  
 vel Deo te obsistere, vel eius iudicium effu-  
 gere te vlla alia ratione posse confidas? Abra-  
 ham ipse & Isaac & Iacob famem fugerunt,  
 quæ & ipsa à Deo immissa fuerat, qui tamen  
 bonum fugisse aut peccasse dici non possunt.  
 Illud autem quod etiam magnopere exagge-  
 rant, nempe *violari ab iis qui pestem fugiunt*  
*preceptum illud immotum quod ipsa humani-*  
*tas dicitur, Quæcunque volueritis, vt faciant*  
*vobis homines, eadem vos facite illis:* sicuti ad-  
 uersus eos meritò torquetur qui cõtationem  
 aut aliud vllum periculû sic vitât vt hominis  
 Christiani officium negligant, ita nullo modo  
 cõtra illos facit, qui nisi pestẽ secessione vita-  
 rent id ipsum quod & patriæ & proximo de-  
 bent neglexisse meritò videantur. Et sanè  
 miror eos qui sine exceptione secessionẽ vt  
 charitati per se repugnantem damnant, non  
 considerare charitatem non minùs postulare  
 vt sanis consulamus, quàm vt eo malo corre-  
 ptos iuueamus.

Aiunt denique quoquot pestem fugi-  
 unt, ea facere quæ Christianus nullus fecit,  
 quum eius rei nullum extet in sacris historiis  
 exemplum.

Respõdeo fallax nimium esse istud argumẽti



Genus, quum satis constet in sacris libris quic  
 quid singuli fecerint minimè recenseri: & suf-  
 ficere in plerisque generales doctrinæ regu-  
 las ad ea constituenda quorum præceptum  
 aut exemplum aliquod particulare non ha-  
 bebimus: neque ambigi posse quin quoties pe-  
 ste afflētus fuerit populus, neque quomodo  
 sese quisque in peste gesserit per scriptum nō  
 extet. Sed aiunt sese habere cōtraria prorsus  
 ex Scripturis s. monita: Dauidē. n. Psal. 91. re-  
 uocare nos ad tabernaculū altissimi. Quasi ve-  
 rò ad Deum non confugiat, qui secessione le-  
 gitimè utitur. At enim, inquiunt, Dauid non  
 fugit illam longè vehementissimam pestem,  
 cuius fit mentio 2. Sa. 24. nec familiam suam  
 aliò trāstulit. Concedo. Sed quàm multa pe-  
 culiaria prohibent generalem inde conclusio-  
 nem necere? Erat enim ipse huius pestis cau-  
 sa, & meritò anxius vsque adeò, vt etiā suiip-  
 sius exitio testetur sese paratum esse publicā  
 redimere calamitatem. Deinde quum tridua  
 na tantum hæc pestis ad summum fuerit,  
 quis illi locus ad deliberandum relinqueba-  
 tur? Præterea quò tandem fugisset, quum in  
 tota ditone pestis grassaretur, metropolim  
 autem ipsam aut nullo modo aut parè ad-  
 modum attigisse pestis dicatur? Esaias etiam,  
 inquiunt, non fugit Ezechiam peste laboran-  
 tem. Quasi verò deseri vltro bona conscien-  
 tia posse oues à pastoribus dicamus. Quid si  
 etiam excipiā non accessisse Esaiam ad Eze-  
 chiam nisi cum peculiari Dei mandato? sic  
 enim

enim testatur historia. Sed Ieremias etiam  
aiunt, & Baruch & alii pii viri ex vrbe à Chal-  
dæis obsessa non profugerunt, quamuis ma-  
gna populi pars non minùs peste quàm fame  
interiret. Neque nos verò posse pestem seces-  
sione meritò vitare dicimus, si ab eo disceda-  
tur quod Deo, patriæ, & proximo cuique de-  
bemus. Sed eos miror qui Ieremiæ hoc exem-  
plum proferunt, oblitos esse illum quàm ex  
vrbe egredi tentaret, fuisse apud vrbs portâ  
deprehensum, Hier. 37. 12.

Proferunt postremò Alexandrinæ Eccle-  
siæ pulcherrimum exemplum ex Eusebii lib.  
7. cap. 20. Quasi verò nos vel quorumuis, vel  
quouis loco & tempore secessionem probe-  
mus, vel constantiam & charitatem istiusmo-  
di laudandam & imitandam esse non doce-  
amus, modò vniuersalis inde regula non sta-  
tuatur. Nec enim Eusebius ipse singulos sed  
plurimos tantùm ex Christianis id factitasse  
scribit.

Itaque vt tandem hæc concludam, nihil-  
dum allatum est quo vel contagio tollatur,  
vel secessio sine exceptione damnetur. Ete-  
nim secessio sine exceptione naturales præcautio-  
nes in morbis contagiosis esse vel præcipuâ,  
ratio & experientia ipsa docent. Nam illud  
certè clamat ipsum contagionis vocabulum,  
quæ propius absunt magis esse illi obnoxia, &  
tempestiua in loca salubriora demigratione  
quotidie liquet plurimos conseruatos: quos si  
quis excipiat etiam si domu mansissent, ieruâ-

dos fuisse, quoniã Deus ita decreuerat: quid obsecro dicetur, quod cæteris quoque omniã periculorum præcautionibus & remediis nõ conueniat? Itaque non tantum medicinam, verumetiam prudentiam omnem & solertiã quæ vitandis periculis omnis generis adhibetur, ridere nos vt res superuacaneas oporteret, nec vllum esset inter temeritatem & consilium, inter fortitudinem & audaciam discrimen. Sed longè aliter sese res habet, quoniã vt vitæ nostræ cursum Deus æterno & immutabili decreto præfinit, ita causas medias quibus ad vitæ conseruationem vteremur ordinauit.

Supereff vt quando sit secessioni locus exponamus. Nam vt cæteris rebus mediis; sic etiam secessione tum rectè tum perperam vt quispiam potest: & tantum abest vt eam cuiquã sine exceptione suadere velim, vt contra ab iis qui etiã quã subducere aliqui sese bona conscientia licet, tamen permanere malunt ac etiam vitæ discrimen subire potius quam proximum deseruisse videri possint, multo minus peccari fatear quàm ab iis qui nimia diffidentia vel immoderato mortis pauore abrepti, illud vnũ neglectis omnib. humanitatis officiis, ob oculos habent, CITO, LONGE, TARDE: dignissimis hominibus profectò qui extra omnem hominum cœtum extrudantur, eius vincula penitus dissoluunt. Quid sit autem ea in re seruandum ego quidem arbitror sic constitui posse.

In primis, illud prouidendum arbitror, vt ad pestem tanquam irati numinis nuntii aduentum vnusquisque sese apud Dei tribunal fistat, semetipsum damnans vt ab illo absoluat: semel denique statuatur sese ad dicendam causam euocari, neque locorum sed morum mutatione hanc virgam posse vitari: quod si etiam moriendum sibi sit, decretum hoc esse morientium bono, quum beati sint, qui in Domino moriuntur.

Alterum est vt hæsitante conscientia nemo neque secedat neque permaneat, sed vbi ex Dei verbo, quid sui sit officii didicerit cōstanter in eo, sese Deo commendans, perseueret.

Etsi verò in tanta circumstantiarum varietate non possunt singulares regulæ constitui, difficile tamen non est generalia quædam verbo Dei consentanea ponere, ad quæ veluti normam quandam postea singulares (vt loquuntur) casus exigantur. Nouerint ergo qui de permanendo cogitant, Dei præceptum esse, Ne occidas, ac proinde neque suam neque suorum vitam esse temere lethalis contagionis periculo exponendam. Nouerint contra qui de secessione cogitant, neque sui ipsorum, neque suarum familiarum tantam habendam esse cuiusquam rationem, vt quid patriæ & conciuibus, alii denique aliis siue sint communi humanæ societatis vinculo obstricti siue alia



necessitudinis specie deuincti, debeant, obliuiscantur. Nec enim charitas quærit quæ sua sunt. Itaque videre me non posse profiteor (quod cum nulla cuiusquam tamen reprehensione dictum sit) qua tandem ratione scedere prohibeantur qui vel per ætatem, vel per deploratam valetudinem alios iuuare nō possint: & si permanferint, ideò tantum retenti videri possint, vt magna cum reipub. iactu ra moriantur. Nam vt eorum crudelitas non potest satis culpari, qui illos, præsertim si tenuioris fortis fuerint, è ciuitatibus extrudunt, ita magnopere mihi videtur probanda tum parentum pietas suorum vitæ tempestiue citra cuiuspiam damnum consulentium, tum etiam magistratum prouidentia, tum danda, qui citra Reipub. detrimentum, curant vt imbecilibus illis, tanquam ciuium femina rio, commodè prospiciatur.

Hic autem occurrit in primis illa vniuersalis obligatio qua homo homini adstringitur, & quæ dissolui nisi humanitate ipsa sublata non potest. Est & aliud vinculum singulos ciues suæ patriæ ac ciuitati obstringens, sed vtranque hanc obligationem hætenus naturalem & vniuersalem esse dico vt suæ cuique conditionis ac vocationis habenda sit ratio. Nam alii publicis muneribus vel ciuilibus vel sacris funguntur, alii verò priuati sunt. Priuatorum autem inter se multiplices sunt connexiones, quas natura quidem ipsa deuincit, Christiana verò pietas adstringit: quæ nisi

discernantur, vt quisque quid sui sit muneris in rebus omnibus intelligat, ordinis specie cōfutionem omnem grassari fuerit in rebus omnibus necesse. Homo igitur hominem ( vt in proposito nobis argumento permaneamus ) cuius ciuem, auxilio quocunque suo indigentem, pro viribus iuuet, neque de secessione cogitet qua sit ipsi meritò probabile fore, vt ita cupiam malè consulatur, nedum vt alicuius contemptu, vel præpostero mortis metu ab humanitatis officio vel tantillum deficiat. Vbi verò citra officii neglectiōem, & publicum offendiculum sibi & suis cauere secessione potest, causam nullam video cur id facere non modò non possit, sed etiam nō teneatur. Verùm nequis hīc sibi adulas in proximum peccet, officium Christiani magistratus fuerit curare, vt quæ contagionem efficiunt aut fouent, quoad eius fieri potest, tollantur, & hoc malo correptorū habeatur tanta ratio, vt quius de quouis sollicitus esse non cogatur. Publico verò munere ciuili fungentes quānam sua munia, grassante peste, deserere possint non video: fidos autem pastores de vel vnica ouicula per secessionem deserenda, quo tempore præcipue cœlesti consolatiōe indiget, nimium turpe imò etiam nefarium fuerit. Priuatorum autem varias & multiplices sunt necessitudines. Inter illas præcipua est ea cui naturalem quoque sanguinis commixtiōem cedere oportere Deus testatur, coniugii videlicet vinculum, vt, meo qui-

dem iudicio, coniux à coniuge, præsertim si pestis alterū inuasit, vix ac ne vix qui de bona cōscientia secedere possit. Quantū autem parentes liberis, liberi parentibus, cognati cognatis debeant vel ipsa naturæ iura demonstrant, quæ tantū abest vt Christiana doctrina laxet, vt ea contra magis ac magis adstringat. Imò deferi à seruis dominum, aut seruos ægrotantes (quod nimium sæpe fit) à dominis negligenter haberi, qui tamen ipsorum valentium opera sint vsi, crudelitas est. Non est tamen æqualis istorum necessitudinis obligatio, & potiori cedere minus arctam oportet, siquidem pluribus simul satisfieri nō potest. Deinde sicut aliquis est inter præsentis etiam desertioni locus, nisi qui permanent officium faciant: ita cauendum est tum ipsis ægrotis vt necessariorum & amicorum charitate non abutantur, dum sibi consultum volunt: tum ipsis quoque in officio persistantibus, ne temere sese periculo contagionis obiciant, quod factitari potius audacia quàm recto Christiano que iudicio à nonnullis cōsuevit, qui reliquis morbis laborantes aspernari consueverunt, peste correptos iniungunt, vt mortem cōtemnere videantur. Hunc ego verò iudiciorum Dei contemptum minus quàm nimiam meticulorum imbecillitatē tolerarim. Cæterum quomodo sint alii in postulanda suorum præsentia affecti, nescio. Ego Lausannæ quū peste laborarē ante ānos viginti octo, & ad me tum alii mei collegæ ac inter cæteros seximius ille



ille vir Petrus Viretus, beatæ memoriæ, accedere paratus esset: ipse quoq. Ioannes Calvinus missò cum literis nuntio omne humanitatis genus mihi deferret, neminem illorum ad me accedere sustinui, ne ex Reipublicæ Christianæ incommodis, quãta accepturam illam ex tantorum virorum interitu constabat, mihi cõsuluisse existimaret: neque id me fecisse poenitet, quãuis à me fortassis idem in simili ipsorum casu nõ obtinuissent. Quòd si in istiusmodi calamitate Magistratus tempestivè provideat quantum licet, tum quibus legitimis neque Christianæ charitati repugnãtibus modis contagio impediri possit, tum ne quid peste correptis desit: vtrisque profectò, tum sanis tum ægrotis optimè cõsuluerit, & multis in hoc argumento quæstionibus fieri solitis occurrerit. Sed illud in primis statuendum est, sicut peccata nostra sunt præcipua ac vera pestis causa, ita vnicum illud esse proprium aduersus pestem antidotum, si pastores non de contagione disputent (quod medicis conuenit) sed ad seriam resipiscẽtiam multamque charitatem verbis ac vitæ exemplo suos greges excitent, pastorum autem vocem oues ipsæ exaudiant.

\*



[183-C]

CCN 31673383

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*